

cujus non habet scientiam, neque visionem, super naturalem rationem existens. Nulli enim rei perfecte providetur, nisi sibi conferantur ea per quæ potest in finem suum devenire. Sed humanæ naturæ in sua creatione sufficienter divina providentia providit. Ergo ei tribuit ea per quæ possit in finem suum tendere; & ita videtur quod ratio naturalis sufficienter hominem in finem ordinet; & ita non oportet quod aliqua supra rationem credat.

2. Præterea. Ultimus finis nostræ vitæ est Deus, in quantum est summum bonum. Sed aliquid esse summum bonum, est probatum per rationem naturalem. Ergo non oportuit aliquid aliud credere supra rationem naturalem ad ordinationem hominis in finem.

3. Præterea. Sapientia divina in infinitum nostram rationem excedit. Ergo infinita sunt in sapientia Dei quæ nostram rationem excedunt. Sed non de omnibus illis possumus habere cognitionem. Ergo pari ratione nec de aliquibus quæ supra rationem sunt: quia de similibus est idem iudicium.

Sed contra. Ubi est altior vita, debet esse altior operatio vitæ. Sed vita gratiæ est altior quam vita naturæ. Ergo & cognitio gratiæ debet excedere cognitionem naturæ, cum cognitio sit operatio vitæ.

Præterea. *Fides est substantia sperandarum rerum.* Hebr. xi. 1. Sed ea quæ speramus, sunt supra rationem: quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* I. Corinth. 11. 9. Ergo & fides debet esse de his quæ sunt supra rationem.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod credere his quæ non videmus, non sit laudabile, neque meritorium. Quia *qui cito credit, levis est corde,* ut dicitur Eccli. xi. 4. Sed qui credit his quæ nullo modo videt, nimis cito credit. Ergo magis est vituperandus quam laudandus.

2. Præterea. Abnegare rationem, quæ est nobilissimum eorum quæ in nobis sunt, est vituperabile. Sed qui credit ea quæ non sunt rationi consona, rationem abnegat. Ergo est vituperabilis.

3. Præterea. Discretio est illa quæ facit omne opus hominis laudabile. Sed cum omnis nostra discretio sit per rationem, in his quæ præter rationem sunt, non habemus aliquid quo discernamus. Ergo hoc credere non est laudabile: quia ita potest aliquis credere falsis, sicut veris.

Sed contra est quod dicitur Joan. xx. 29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Præterea. Omnis actus virtutis est meritorius, & laudabilis, quantum est in se. Sed credere quæ non videntur, est actus fidei, quæ est virtus. Ergo est laudabile, & meritorium.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod ratio humana diminuat meritum fidei. Ratio enim sufficienter probans, totaliter meritum fidei evacuaret: quia ut dicit Gregor. hom. xxvi. in Evang. *Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Ergo ratio aliquantulum persuadens, meritum fidei diminuit.

2. Præterea. Illud quod inducit ad corruptionem fidei, diminuit meritum fidei. Sed rationes, & disputationes inducunt corruptionem fidei, ut dicit Averroes in III. Physic. in prolog. ex hoc quod homo audit alia, & ex hoc minus adheret his quæ consuevit audire, & dubitare incipit. Ergo videtur quod

ratio humana meritum fidei diminuat.

3. Præterea. Opus quod pure propter Deum fit, magis est meritorium quam quando cum hoc fine admiscetur aliquid aliud temporale. Ergo pari ratione humana ratio fidei admixta meritum fidei diminuit.

Sed contra. Per rationes humanas fides elucidatur. Sed elucidantibus vita æterna promittitur, ut patet Eccli. xxiv. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt:* quod non esset, si per elucidationem meritum fidei diminueretur. Ergo videtur quod ratio humana meritum fidei non diminuit.

Præterea. Quanto virtus est magis propinqua fini, tanto est magis meritoria. Sed finis fidei est intelligentia veritatis, ad quam homo propinquat per rationes humanas. Ergo ratio humana fidei meritum non diminuit, sed auget.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod in fide sunt quædam quæ sunt supra rationem humanam simpliciter, de quibus essentialiter est fides; & quædam quæ sunt supra rationem humanam alicujus, quamvis non supra rationem cujuslibet hominis, & ad utraque necessarium fuit dari fidem. Quia enim homini Deus providit finem qui est supra naturam hominis, scilicet plenam participationem suæ beatitudinis; oportet autem eum qui in finem tendit, si libero arbitrio agat, cognoscere finem, ex cujus consideratione dirigitur in his quæ sunt ad finem: ideo oportuit ut homo alicujus rei cognitionem haberet quæ naturalem cognitionem ejus excedit: quæ quidem cognitio homini datur per gratiam fidei. Sicut autem est in gratia perficiente affectum quod præsupponit naturam, quia eam perficit; ita & fidei subternitur naturalis cognitio, quam fides præsupponit, & ratio probare potest; sicut Deum esse, & Deum esse unum, incorporeum, intelligentem, & alia hujusmodi: & ad hoc etiam sufficienter fides inclinatur, ut qui rationem ad hoc habere non potest, fide eis assentiat. Quod quidem necessarium fuit propter quinque ut dicitur Rabbi Moyses in prima parte cap. xxxiiii. Primo propter altitudinem materiæ secundum elevationem à sensibus, quibus vita nostra connutritur: unde non est facile sensum, & imaginationem deserere; quod tamen est necessarium in cognitione divinorum, & spiritualium, ut dicit Boetius, Lib. I. de Trin. cap. 11. Secundo quia quamvis intellectus hominis naturaliter ordinatus sit ad divina cognoscenda, non tamen potest in actum exire per seipsum. Et quia cuiuslibet non potest adesse doctor paratus, ideo Deus lumen fidei providit, quod mentem ad hujusmodi elevet. Tertio quia ad cognitionem divinorum per viam rationis multa præexiguntur, cum fere tota Philosophia humana ad cognitionem divinorum ordinetur: quæ quidem non possunt nisi pauci cognoscere: & ideo oportuit fidem esse, ut omnes aliquam cognitionem haberent de divinis. Quarto quia quidam naturaliter sunt hebetes, & tamen cognitione divinorum indigent, quia in vita dirigantur. Quinto quia homines occupantur circa necessaria vitæ, & retrahuntur à diligenti consideratione divinorum.

Ad primum ergo dicendum, quod finis humanæ vitæ est cognitio Dei, etiam secundum Philosophos, ex Ethic. X. cap. viii. qui ponunt felicitatem ultimam in actu sapientiæ secundum cognitionem nobilissimam intelligibilem. Cognitio autem Dei quædam excedit nostram naturam, sicut visio quæ est per essentiam; & ad istum finem non potuit sufficienter

no

nobis provideri per nostra naturalia: & ideo necessaria fuit fides eorum quæ essentialiter ad fidem pertinent. Alia autem cognitio Dei est commensurata nostræ naturæ, scilicet illa quam de Deo habere possumus per rationem naturalem. Sed quia hæc habetur in ultimo humanæ vitæ, cum sit finis; & oportet humanam vitam regulari ex cognitione Dei, sicut ea quæ sunt ad finem ex cognitione finis: ideo etiam per naturam hominis non potuit sufficienter provideri etiam quantum ad hanc cognitionem Dei. Unde oportuit quod per fidem à principio cognita fierent, ad quæ ratio nondum poterat pervenire; & hoc quantum ad ea quæ ad fidem præexiguntur.

Ad secundum dicendum, quod bonum, ut dicit Dionysius, cap. iv. de Div. Nom. est sui diffusivum: unde ubi cognoscitur alia ratio diffusionis, cognoscitur alia ratio bonitatis. Per rationem ergo naturalem potest cognosci summum bonum, secundum quod diffundit se communicatione naturali, non autem secundum quod diffundit se communicatione supernaturali; & secundum hanc rationem summum bonum est finis nostræ vitæ: de quo oportet haberi fidem, cum ratio in illud non possit.

Ad tertium dicendum, quod ea quæ sunt ad fidem, debent proportionari fini: unde cum finis vitæ humanæ ultimus sit supra facultatem naturæ, & per consequens rationis, quæ ratio ex his quæ sunt ad finem, de fine conjectat; oportet quod etiam illa quæ sunt ordinata ad finem illum, supra facultatem humanam naturæ sint, & supra rationem: & ita non omnia quæ in divina sapientia supra rationem sunt, ad fidem pertinent, sed solum cognitio finis supernaturalis, & eorum quibus in finem illum supernaturaliter ordinatur.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod, sicut Philosophus dicit I. Ethic. cap. xviii. laus proprie secundum respectum ad alterum quod dignius est, attenditur; sicut videmus quod actus concupiscibilis laudatur, in quantum ordinate se habet ad rationem; actus vero rationis, in quantum ordinate se habet ad intellectum, quo dirigitur; & actus etiam supremarum potentiarum, secundum quod convenienter se habent ad finem. Et propter hoc illa quæ sunt optima, non laudantur, sed honorantur. Ergo quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut dicitur in VII. Physicor. text. i. ideo proprie actus virtutis laudabilis est. Nostra autem naturalis cognitio se habet ad divinam sicut ad superiorem: & ideo cum ratio nostra divinæ consentit, actus laudabilis est, sicut cum irascibilis subditur rationi: & ideo credere veritati primæ in his quæ non videntur, laudabile est, & opus meritorium, & opus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod credere homini absque ratione probabili, est nimis cito credere: quia cognitio unius hominis non est naturaliter ordinata ad cognitionem alterius, ut per ipsam regulatur. Sed hoc modo ordinata est ad veritatem primam. Ad secundum dicendum, quod homo dum credit, rationem non abnegat, quasi contra eam faciens; sed eam transcendit, altiori dirigitur innixus, scilicet ad veritatem primam: quia ea quæ fidei sunt, etsi sunt diversa verba, esset diversa fides. Et dicendum, quod non dicitur esse fides verborum, sed quæ remota nihilominus crederet: unde, quantum in se est, non diminuit meritum nisi ex culpa creditis.

EXPOSITIO TEXTUS.

Quæ non proprie dicitur fides, sed veritas. Contra. Hic dividit fidem contra veritatem. Ergo fides veritatem non habet. Dicendum, quod hic accipit veritatem manifestam, quæ fidei succedit. **Ex fide verborum.** Contra. Nunc etiam non credimus tantum verbis: quia cum apud diversas gentes sint diversa verba, esset diversa fides. Et dicendum, quod non dicitur esse fides verborum, ut eorum in quæ credatur; sed quia ea quæ credenda sunt, est vituperabile, sed laudabile: quia homo debet se nobis per verba proponuntur, insufficienter nobis res erigere ad divina; quantumcumque potest, ut dicitur Philosophus X. Ethic. cap. xi. **Cum fides sit ex auditu.** Contra. Auditus interior à

Ad tertium dicendum, quod discretionem credentium habet homo per lumen fidei, sicut discretionem spirituum per aliquam gratiam gratis datam; unde homo lumen fidei habens non consentit his quæ sunt contra fidem, nisi inclinationem fidei derelinquat ex sua culpa.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod quantitas meriti ex duobus potest attendi, scilicet ex parte operis, & ex parte operantis. Opus quidem oportet ut sit virtuosum. Et quia virtus est circa difficile, & bonum, oportet quod habeat difficultatem, & bonitatem, quantum in se est: & ideo quod addit ad alterum eorum, addit ad meritum quantum est ex parte operis. Ex parte vero operantis requiritur voluntas: unde quanto magis quis voluntarie facit, tanto magis meretur; & semper quantitas meriti attenditur secundum radicem charitatis. Hæc autem quantitas est quasi formale respectu alterius: unde secundum eam certius est iudicium de quantitate meriti. Ratio ergo naturalis dupliciter potest induci in his quæ fidei sunt: vel cum ratio inducitur secundum fidem, vel contra fidem. Ratio autem inducta contra fidem addit difficultatem actus quantum in se est: unde manente eadem voluntate credendi, magis meretur qui credit ad quod videt multas rationes naturales in contrarium, quam qui eas non videt: sicut qui cum tentatur vehementius de luxuria, si resistit æquali voluntate, plus meretur. Ratio autem quæ secundum fidem inducitur, non facit videri id quod creditur: & ideo difficultatem operis, quantum in se est, non diminuit; sed quantum in se est, facit voluntatem magis promptam ad credendum; & ex ista parte potest augere meritum fidei; sicut habitus virtutis qui inclinatur ad actum in se difficilem, quem facilem reddit operanti. Unde patet quod tam causa rationalis in fide inducta, quam contra fidem, quantum in se est, meritum fidei auget: quamvis possit etiam diminuire utrumque ex defectu credentis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio præbens sufficienter experimentum fidei facit visionem; & ideo difficultatem credendi evacuat. Sed talis ratio de his quæ per se ad fidem pertinent, haberi non potest.

Ad secundum dicendum, quod ex disputationibus corrumpitur fides in eo qui fidei firmam non habet, ex culpa ipsius.

Ad tertium dicendum, quod ratio humana adducta non facit ut homo non pure propter Deum credat, quia remota nihilominus crederet: unde, quantum in se est, non diminuit meritum nisi ex culpa creditis.

visu non differt. Dicendum, quod utrumque dicitur in intellectu per similitudinem: unde proprie de illis rebus intellectus visio habetur quarum formæ se ei offerunt, sed auditus de illis quæ non videntur.

Alia (1) sunt quæ nisi intelligamus, non credimus,

sicut principia naturaliter cognita; alia quæ nisi credamus, non intelligimus, sicut ea quæ supra rationem sunt: & accipit hic credere, communiter pro omni assensu.

Nisi aliquid intelligat, scilicet quod significatur per nomen.

DISTINCTIO XXV.

De fide antiquorum.

Predictis adjiciendum est de sufficientia fidei ad salutem. Illis enim qui præcesserunt adventum Christi, & qui sequuntur, videtur profecisse fides secundum temporis processum, sicut profecit cognitio. Fides quippe magna dicitur cognitione, & articulorum quantitate, vel constantia, & devotione. Est autem quædam fidei mensura sine qua nunquam potuit esse salus. Unde Apostolus, Hebr. xi. 6., Oportet (2) accedentem credere quia est, & quod remunerator est sperantium in se. Sed quæritur, utrum hoc credere ante adventum, vel ante legem ad salutem suffecerit. Nam tempore gratiæ constat certissime hoc non sufficere. Oportet enim universa credi quæ in symbolo continentur. Sed nec ante adventum, nec ante legem videtur hoc suffecisse: quia sine fide mediatoris nullum hominem vel ante, vel post fuisse salvum, Sanctorum auctoritates contestantur. Unde Augustinus ad Opratum, epist. clvii., Illa fides sana est qua credimus, nullum hominem sive majoris, sive parvulæ ætatis liberari à contagione mortis, & obligatione peccati quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum Christum Jesum: cuius hominis eisdemque Dei saluberrima fide etiam illi justi sunt facti qui priusquam venisset (3) in carnem, crediderunt in carnem venturam. Eadem enim fides est & illorum, & nostra. Proinde cum omnes justis, sive ante incarnationem, sive post, nec vixerint, nec vivant nisi ex fide incarnationis Christi, profecto quod scriptum est, Act. iv. 12. Non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat salvari nos: ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum ex quo in Adam vitiarum est. Idem, Lib. de corrept. & grat. cap. vii., Nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi. Idem Lib. II. de nuptiis, & concup. cap. xi., Eadem fides Mediatoris, quæ nos salvat, salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis: quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum; & sicut nos mortuum, ita illi moriturum; & sicut nos resurreximus, ita illi resurrexerunt; & nos, & illi ad iudicium vivorum, & mortuorum venturum. Gregorius, hom. xvii. super Ezechielem: Et qui præbant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna filio David &c. Matth. xxi. Quia omnes electi qui in Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia sunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt. His, aliisque pluribus testimoniis perspicue docetur, nullumquam salutem esse factam nisi per fidem mediatoris. Oportet ergo accedentem credere quæ supra dixit Apostolus; sed non sufficit.

De fide simplicium.

Quid ergo dicitur de illis simplicibus quibus non erat revelatum mysterium incarnationis, qui pie credebant quod eis traditum fuit? Dicitur potest, nullum fuisse justum, vel salvum, cui non esset facta revelatio vel distincta, vel velata, vel in aperto, vel in mysterio. Distincta, ut Abraham, & Moysi; aliisque majoribus, qui distinctionem articulorum fidei habebant: velata, ut simplicibus, quibus revelatum erat ea esse credenda quæ credebant illi majores, & docebant; sed eorum distinctionem apertam non habebant. Sicut & in Ecclesia aliqui minus capaces sunt, qui articulos symboli distinguere, & assignare non valent; omnia tamen credunt quæ in symbolo continentur: credunt enim quæ ignorant, habentes fidem velatam in mysterio; ita & tunc minus capaces ex revelatione sibi facta majoribus credendo inhærebant, quibus fidem suam quasi committebant. Unde Job cap. i. 14., Bovæ arabant, & asinæ pascebantur juxta eos. Simpliciter, & minores sunt asinæ pascentes juxta boves: quia humilitate majoribus adhærendo, in mysterio credebant quæ & illi in mysterio docebant, qualis forte fuit vidua Sareptana.

SED quæritur, cum sine fide Mediatoris antiquis non fuerit salus, sicut nec modernis, utrum oportuerit illos credere omnia illa de Mediatore quæ nunc credimus. Quibusdam videtur quod suffecerit illis quatuor tantum credere, scilicet nativitatem, mortem, resurrectionem, & adventum ad iudicium: quod ex præmissis verbis Augustini colligitur, ubi ista quatuor posuit. Aliis autem videtur, habita fide Trinitatis, id de mysterio incarnationis fidei suffecisse, ut crederetur Dei Filius natus de homine, & judicaturus: qui de Joanne Baptista documentum hujus rei assument, qui de morte Christi, & descensu ad inferos in Evangelio dubitasse videtur, secundum expositionem Gregorii, hom. i. in Ezech. & hom. vi. super Evangel. quando interrogavit per discipulos, Luc. vii. 20., Tu es qui venturus es, an alium expectamus? quasi diceret: Es tu per te ipsum descensus ad infernum, an alium ad hæc sacramenta missurus es? Quidam tamen dicunt, eum non dubitasse (4) de ignorantia, sed de pietate; idest, dubitare se ostendisse, non quia

(1) *Alia quæ non sunt, credimus, sicut principia naturaliter cognita, alia quæ non credimus, sicut ea &c.* (2) *Vulgata: Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remuneratorem sit.* (3) *Nicolaus hic & infra, in carne.* (4) *Nicolaus ignorantia, sed pietate.*

quia ignoraverit; sed pietatis affectu compassum esse Christo, & ejus humilitatem admirando insinuasse.

De fide Cornelii.

SOlet etiam quæri de Cornelio, utrum fidem incarnationis habuerit, cum dictum est ei per Angelum, Act. x. 31., Acceptæ sunt elemosynæ tuæ, & exaudita sunt orationes tuæ. Si enim fidem incarnationis non habebat, tunc ergo sine fide incarnationis erat ei justitia: quia de illo scriptum est, quod justus erat, & timens Deum. Si vero incarnationis fidem habebat, ad quid ergo missus est ad eum Petrus? Sane dici potest, eum sicut fidem unitatis, ita & incarnationis habuisse, Dei revelatione; sed incarnatum ret, & sacramentum regenerationis ei conferret. Habebat igitur fidem incarnationis; sed an facta, an futura esset, non novat: & ita per fidem venit ad opera, & per opera amplius est solidatus in fide. Per fidem enim, ut ait Gregorius (hom. xi. in Ezech. ante med.) venit ad opera. Cornelius etiam per fidem venit ad opera. Deum enim unum credebatur, sed Filium ejus nesciebat incarnatum. Per fidem placuerunt esse per Angelum, Act. x. 31., Acceptæ sunt elemosynæ tuæ, & orationes tuæ: antequam in Christum crederet; nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat in quem non credente quod ait, sine fide Christi non posse esse salutem; & tamen Cornelium exaudivit, antequam crederet in Christum: quod ita potest intelligi, scilicet antequam sciret Christum incarnatum, in quem crederet in mysterio.

De æqualitate fidei, spei, charitatis, & operis, quæ secundum aliquid sunt æqualia.

Illud etiam non est prætermittendum, quod fides, spes, charitas, & operatio secundum aliquid æqualia sunt in præsentia. Unde Gregorius super Ezechielem, hom. xxii., Fidem, spem, charitatem, & operationem, dum in hac vita vivimus, æquales sibi esse apud nos invenimus: quia quantum credimus, tantum amamus, & quantum amamus, tantum de spe præsumimus. Quisque enim fidelis tantum credit quantum sperat, & amat, & tantum operatur quantum credit, & amat, & sperat. Sed tamen major fide, & spe charitas dicitur: quia cum ad Dei speciem pervenitur, spes, & fides transit, sed charitas permanet; & quia charitas mater est omnium virtutum, quæ non ideo post fidem, & spem ponitur, quod ex eis oriatur, sed quia post illa remanebit aucta: charitas enim nunquam excidit. I. Corinth. xii. 8. Præmissa autem æqualitas proprie secundum actuum intensionem consideranda est. Hinc vero quod hic, & superius dictum est, scilicet quod charitas non est ex fide, & spe, sed & converso, videtur obviare quod ait Apostolus I. Tim. 1. 5., Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: progrediens: quod exponens Augustinus (b) cor accipit pro intellectu, & conscientiam pro spe. Qualis, inquit, charitas est finis præcepti procedens de corde puro, & conscientiam pro spe. si Deus diligatur: & conscientia, idest de spe bona, & fide non ficta, idest simulata. Non igitur charitas fidem, vel spem, sed fides, & spes charitatem præcedere videntur. Hoc ergo ea ratione traditum intelligi non quod fides, & spes causa, vel tempore charitatem omnium bonorum matrem præcedant; sed quia charitas sine illis in aliquo esse non potest, sed illæ sine charitate possunt esse; quamvis non sit pia fides, vel spes sine charitate. Ideo igitur ex fide, & spe procedere dicitur charitas, quia nulli provenit sine istis.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam Magister determinavit de fide quantum ad suam essentiam, quæ per diffinitionem cognoscitur, & de objecto fidei; hic determinat de ipsa per comparisonem ad habentem ratione quantitatis, secundum quam crescit in habente fidem. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima determinat de fide prout comparatur ad credentes secundum quantitatem quam habet ex numero credibilium; in secunda secundum quantitatem quam habet ex intensione habitus, ibi: *Illud etiam non est prætermittendum.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quod fides sufficiens ad salutem, se extendit ad cognitionem Deitatis. Secundo quod se extendit ad cognitionem Redemptoris, ibi: *Sed quæritur, utrum hoc credere ante adventum, & ante legem ad salutem suffecerit.* Tertio ostendit ad quos articulos Redemptoris fides se extendit, ibi: *Sed quæritur, cum sine fide Mediatoris antiquis non fuerit salus, sicut nec modernis, utrum oportuerit illos credere omnia illa de Mediatore quæ nos credimus.*

In III. Sent. Tom. III.

(1) *Al. Hic vero quod hæc &c. Forte etiam legendum: Secundo proponit dubitationem & solvit.* Ex Edit. P. Nicol. (a) Lib. de prædest. Sanct. cap. vii. versus finem. (b) Colligitur ex Lib. I. de Doct. chris. cap. xl. & ex Enchir. cap. cxxi. ut & ex tract. x. in I. Epist. Joannis, & ex præfat. in Psalm. xxxi.

QUESTIO I.

HIC est duplex questio. Prima de diffinitione articulorum. Secunda de explicita eorum cognitione.

Mm

Cir